



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quomodò auditores ad verecundia[m] sint commouendi. Cap. XX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Quomodò auditores ad verecundiã sint com-  
mouendi.

## Cap. XX.

**D**ICAMVS de pudore, siue verecundia, qua cum timore magnam affinitatem habet. nihil autem est aliud pudor, siue verecundia, quàm quaedam extenuatio animi, ex malis orta presentibus, prateritis, atque futuris, ob qua subeunda sit ignominia alicuius nota. Hac affectio est digna Christiano, ad quam excitari auditores debent, argumentis in primis sumptis à contrarijs; cū nihil possit esse tam alienum à Christiano, quàm impudentia, qua est contemptus earum rerum, quas verecundi maximè reformidant, flagitiorum magistra, disciplina aduersaria, superbia filia, calamitatum socia. Excitãdi sunt auditores ad pudorem, & ad verecundiam; & declarandum, quàm sit turpe deserere aciem Christi, & transfugere ad sathanam, quàm sit ignominiosum membra Christi contaminare, imaginem Dei transformare in naturam bestiarum, quod voluptatibus in primis fit: turpissimum autem est, à fide parentum recedere, extra Ecclesiam viuere, sanctissimis sacramentis, veluti cibo non ali.

Quomodò excitãdi sint auditores ad gaudiũ.

## Cap. XXI.

**G**AVDIVM, est affectio animi alicuius presentis boni opinione concepta. Ad gaudium excitari possunt auditores, commemoratiõe maximorum beneficiorum, qua diuinitus nobis collata sunt; in primis, in solennitatibus, quas sancta Ecclesia Spiritu sancto edocta, ce-